circa solsticium estiuum sit natus; Docet ipse qui uel ex sua uel ex ueteris testamenti uernula adsumpta persona loquitur; Illum oportet crescere me autem minui; AD UIRGINEM DESPONSATAM UIRO CUI NOMEN ERAT IOSEF DE DOMO DAUID ET NOMEN UIRGINIS MARIA;

Multas ob causas saluator non de simplici uirgine sed de desponsata uolu- III
it nasci. Primo uidelicet ut per generationem ioseph cuius maria H
cognata erat. Mariae quoque nosceretur origo; neque enim mos est K̄
scripturae feminarum genelogiam texere; Nam et de utroque potest
intellegi quod dicitur de domo dauid. Deinde ne uelut adultera lapida H K̄
retur a iudeis. Malens aliquos de suo ortu quam de pudore dubitare Λ
parentis. Simul et uirginibus inpudicitiae occasionem tollens. Ne ma M
trem quoque saluatoris dicerent falsis suspitionibus infamatam; Tertio H
ut egiptum fugiens et rediens haberet solatium uiri qui integerrime K̄
uirginitatis custos pariter et testis existeret; Quarto ne partus eius
diabolo pateret; qui si eum de uirgine natum cognosceret forsitan qua
si ceteris hominibus eminentiorem morti tradere timeret; Maria autem
ebraice stella maris. siriace uero domina uocatur et merito, quia et totius
mundi dominum et lucem seculis meruit generare perennem;

ET INGRESSUS ANGELUS AD EAM DIXIT; AUE GRATIA PLENA DOMINUS TECUM; BENEDICTA TU IN MULIERIBUS; IIII

Bene gratia plena uocatur quae nimirum gratiam quam nulla alia
meruerat adsequatur. Ut ipsum uidelicet gratiae conciperet
et generaret auctorem; QUAE CUM AUDISSET TURBATA EST IN SERMONE EIUS ET COGITABAT QUALIS ESSET ISTA SALUTATIO;

Disce uirginem moribus. disce uirginem uerecundia. disce uirginem
oraculo. disce misterium; trepidare uirginum est et ad omnis uiri ingres
sus pauere. Omnis uiri affatus uereri; discant mulieres propositum
pudoris imitari; Sola in penetralibus; quam nemo uirorum uideret.
Sola ab angelis repperiretur; Sola sine comite. sola sine teste. ne quo dege
neri deprauaretur affatu ab angelo salutatur; Disce uirgo uerborum